

## Edition

*Frühere Editionen: BALUZE, Capitularia regum Francorum (wie Anm. 9) Sp. 1378f.; HARTZHEIM, Concilia Germaniae (wie Anm. 10) S. 212f.; MIGNE PL 112 (Paris) Sp. 1507C–1510D; DÜMMLER, MGH, Epp. 5 (wie Anm. 5) no. 41 S. 479f.; VAN RHIJN, Paenitentiale Pseudo-Theodori (wie Anm. 11) S. 155–158.*

[Epistola Hrabani de his, qui se animalibus miscent].<sup>33</sup>

Reuerentissimo atque in diuino cultu religiosissimo Christi sacerdoti Regimbodo<sup>34</sup> Hrabanus in domino salutem.

Nuper ad nos quidam frater uenit de monasterio, quod dicitur Heroluesfeld, uicino nobis portans in pittatio quasdam questiunculas conscriptas petensque ex tuo nomine, quatenus eas nostris responsionibus solueremus. Cuius petitioni libentem aurem<sup>35</sup> accommodauimus et quantum potuimus ex patrum sententiis eas soluere cepimus.

Primum ergo ibi quaesitum est, quale iudicium ille sustinere debeat<sup>36</sup>, qui flagellando uxorem suam duos filios suos in partu occidit, ita ut ad baptismi<sup>37</sup> gratiam peruenire non potuerint. Tertium uero filium ita debilitauit, ut post partum mox baptizatus uitam finierit. Ubi liquido patet, quod propter inmoderatam correptionem in crimen cecidit parricidii<sup>38</sup>. Quid autem de homicidio sacri<sup>39</sup> canones sanciant, tibi non ignotum est, cum in Ancyrano<sup>40</sup> concilio ita scriptum est<sup>a</sup>: *„Qui uoluntariae homicidium fecerint<sup>41</sup>, penitentiae quidem iugiter se submittant, perfectionem uero circa uitae exitum consequantur. De homicidiis non sponte commissis prior quidem definitio post septennem paenitentiam perfectionem consequi precepit<sup>42</sup>, secunda uero quinquennii tempus explere.“* Ubi etiam considerata est infirmitas personae paenitentis et modus penitentiae. Qui feruide paenitentiam de peccatis suis gerit, citius indulgentiam per domini misericordiam obtinebit.

a) Vgl. Concilium Ancyritanum cc. 21–22, hg. von TURNER, Ecclesiae (wie Anm. 29) S. 109–111. Hraban entnahm diese Kanones der Collectio Dionysio-Hadriana. Er übernahm diese Kanones auch in seinem Paenitentiale ad Otgarium c. 12 und 15 (MIGNE PL 112, 1411) und auf dem Konzil von Mainz (847) c. 22–3, ed. MGH Conc. 3, S. 172–3, wies sie aber dort dem Konzil von Neocaesarea zu.

33) Überschrift nur in T.

34) Regimbodo B.

35) aurem libentem T.

36) corr. ex deb T.

37) corr. ex bismi T.

38) paricidii corr. ex paridii T.

39) corr. ex sacris B.

40) corr. ex Ancyranno T.

41) corr. ex fecerit M.

42) corr. ex precipit B.